



De Probatis|| Sanctorvm|| Historiis

Partim|| Ex Tomis Aloysii Lipoma-||ni, Doctissimi Episcopi, Partim Etiam||
Ex Egregiis Manuscriptis Codicibvs, Qvarvm permultæ antehàc nunquàm
in lucem prodière

Complectens Sanctos Mensivm || Ianvarii Et Febrvarii

Surius, Laurentius

Coloniae Agrippinae, 1576-

VD16 S 10258

De S. Apollonia virgine & martyre.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77365](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77365)

DE S. APOLLONIA VIRGINE ET MARTYRE.

935

beatus deinceps Canonicos canonicè viuere voluit, & in illa sede permultis annis refidens, de virtutis studio nihil remisit. Et quidem dolendum est, hominum incuria de eius rebus gestis tam parùm esse commendatum literis, aut certè ad posterorum notitiam non transmissa ea, quæ quosdam non ignorasse certum est, cum iam supra ex Berchario didicerimus, multa eum sancti viri miracula legisse: qui sanè eo nomine à quibusdam reprehenditur, quòd ea noluerit scripto compræhendere. Peruenit autem tandèm vir sanctus ad id, quòd diù concupierat, cuius causa tam multos in hac vita labores & susceperat & exantlârât, vt liceret, ruptis corporis vinculis, migrare ad illam supernam ciuitatem, quæ est patria nostra. Itaque confectus senio plenusque dierum, valedicens fratribus, in pace sanctæ Ecclesiæ felicem Christo spiritum reddidit 6. Idus Februarij, & in ecclesia beati Saturnini, vt iam antè dictum est, sicut iusserat, sepulturæ mādatus est, vbi meritis illius præstantur beneficia Domini nostri Iesu Christi, qui viuít & regnat in secula seculorum, Amen.

Abir à vita
S. Paulus.

DE SANCTA APOLLONIA VIRGINE ET MARTYRE; EX EPISTOLA DIONYSII ALEXAN.

drini ad Fabium Antiochenum Episcopum, quæ est apud Eusebium lib. 6. cap. 34. Historiæ Ecclesiast. interprete Iohanne Christophorono Anglo.



NON ex Imperatoris edicto (inquit Dionysius) persecutio apud nos incepta fuit; sed integro anno præuenterat. Nam vates (quisquis ille fuerit) malorum omnium, quæ huic ciuitati acciderunt, architectus, infinitam gentilium turbam contra nos incitauerat impuleratque; atque adeò ad patriam suam & antiquam superstitionem defendendam magnoperè instigârât. Qui ab illo ad malevolentiam iritati, omnemque aucupati licentiam ad scelus patrandum, solam pietatem & verum cultum demonum suorum istum censuerunt; vt Christianorum cede & sanguine suas crudeles manus respergerent. Et paulò infra; Tum verò vno quasi animorum impetu omnes in piorum aedes irruere, & singuli quos sibi vicinos esse cognouerant, properè educere, expoliare, diripere, & diuitias ac suppellectilem, si quæ erat preciosior, sibi seponere; si quæ vilior, sordidior & ex ligno confecta, in vijs dissipare, deindè exurere: adeò vt ciuitas illa veram speciem vrbis ab hostibus captæ despoliatæque probè representaret. Fratres ergò desistere è via, & in loca separata ac solitaria se subducere; rapinam bonorum suorum similiter cum illis, quibus Paulus illustre perhibet testimonium, cum gaudio suscipere. Atque haud scio, vtrum quisquam præter aliquem vnum alicubi fortassè, hucusquè Dominum denegauerit. Apolloniam porrò virginem, id temporis cum primis admirandam, & admodùm prouecam ætate, comprehendunt; maxillisque eius crudeliter diuerberatis, omnes dentes illi excutiunt, atque rogo in suburbij extructo minantur, nisi verba blasphemie vnà cum ipsis palàm cloqueretur, se eam viuam crematuros. Illa paululùm temporis ad deliberandum precata, & dimissa ex eorum manibus, sine mora insilit in rogam; sicque flammaram incendio absumpta est.

9. FEBRUAR.

Hebr. 10.

S. Apollonia vitrò se precipitae in flamas.

MARTY.